

liori bono, non potest professio esse valida. Eo vel maxime quod, propter connexionem quam habent talia vota in tali professione, si unum eorum invalidum est ex natura rei, etiam reliqua. Et eadem ratione, invalida est traditio quæ fit religioni, quia non fit nisi ut annexa et conjuncta hujusmodi votis et in ordine ad eorum observationem, per quod responsum est ad rationem dubitandi in contrarium posita.

16. *Facultatem cum causa datam a Prælati infra Papam licere quidam putant.* — Ex quibus a fortiori concluditur, non posse Episcopum, vel quemlibet inferiorem Prælatum, licite aut valide hanc licentiam dare, sine legitima causa. Superest vero inquirendum, an saltem possit cum causa legitima, vel hæc facultas sit soli Papæ reservata, in qua re communis sententia esse videtur, Episcopum posse dispensare. Tenet Innocentius, in c. *Dilectus*, de Temp. ordin., n. 3, et in dicto c. ult., de Renuntiatione; sequitur Panormitanus, in dicto c. *Non est*, de Regular., n. 6; Sylvester, verb. *Religio*, 4, q. 2, qui bene advertit hoc esse intelligendum respectu, scilicet, de proprio Episcopo respectu religionum sibi subditorum, vel de Prælati habentibus jurisdictionem Episcopalem respectu exemptorum; et de illis respectu, scilicet, de unoquoque respectu suorum subditorum; et idem sequitur Navarrus, dicto Comment. 4, n. 41. Ad hoc autem probandum Innocentius, præter c. *Qui vere*, 16, q. 1 (quod nihil probat, ut supra vidimus, quia solum in genere dicit monachos debere esse subjectos Episcopis), adducit cap. *Significatum*, de Regular.; sed ibi solum scribit Pontifex ad quemdam Episcopum: *Eum ad aliam religionem transire compellas*, ubi Glossa exponit ad aliam professionem ejusdem vel majoris religionis. Panormitanus autem ibi recte advertit, quoniam textus indistincte loquitur, indicare, professionem de qua ibi est sermo, scilicet tacite factam a puero oblato vel recepto ab infantia, per delationem habitus, usque ad annos pubertatis, illam, inquam, solum obligasse ad religionem in genere, juxta cap. *Constitutionem*, de Regul., in 6. Et ita nihil probat. Ipse ergo Panormitanus adducit alia duo jura: unum est in c. *Non cogantur*, d. 41; aliud est c. *Non mediocriter*, de Consecratione, dist. 5; sed in eis solum continetur sententia quædam D. Augustini et D. Hieronymi, quibus docent tractationem corporis quoad austeritates et vivendi mo-

dum, accommodandam esse uniuscujusque fragilitati; hinc tamen solum colligitur ex hoc capite oriri posse justam causam hujus dispensationis, quod verum est, ut statim declarabimus. Ex hoc autem non satis probatur esse in Episcopis potestatem ad dandam hanc dispensationem, quod nunc inquiremus. Quocirca, non videtur hoc posse probari positive ex jure; nam canon alius, quem Innocentius adducit, supra a nobis explicatus est; fundanda ergo videtur illa sententia, solum in hoc, quod talis dispensatio nullibi legitur Papæ reservata, et ideo censenda est Episcopo commissa.

17. Contrariam sententiam tenuit expresse Glossa, in cap. *Cum singula*, § *Prohibemus*, verb. *Canonice*, de Præbend., in 6, ubi dicit solum Papam dispensare. Tenet etiam Sociinus, consil. 270, quem refert et sequitur Rebuffus. Idem tenet Rebuffus, in *Practica*, p. 1, tit. de Translatione monachorum, num. 9, qui tamen addit in num. 10, si causa exigeret celeritatem, tunc sufficere dispensationem Episcopi; et ita interpretatur sententiam Innocentii, in d. cap. finali, de Renuntiat., et in c. *Dilectus*, sed revera non juxta mentem ejus. Illam vero limitationem ex Antonino refert Panormitanus, in dicto cap. *Non est*, de Regular. Dixit enim Episcopum tantum posse hoc facere, quando est periculum in mora accedendi ad Pontificem, quæ exceptio generalis est, in aliis dispensationibus reservatis Papæ, quæ habent instantem et evidentem necessitatem; ergo sentit ordinario jure hanc dispensationem esse reservatam Papæ. Tenet etiam Antonin., 3 p., tit. 16, c. 4, qui etiam rigorosius loquitur, dicens solum Papam posse dispensare in transitu etiam ad æqualem; sed de hoc jam dictum est.

18. Ratio pro hac sententia esse potest, quia Episcopus in hujusmodi dispensationibus non potest quidquid ei non prohibetur, sed solum quod ei conceditur. Hoc autem non est ei concessum in aliquo canone, ut dictum est; ergo. Major in tom. de Censuris, et tomo secundo, tractando de dispensatione voti, et in materia de legibus, fuse tractata est, et eam admittit expresse Innocentius, in dicto capit. *Dilectus*, et sumitur ex capit. *Proposuit*, de Concessione Præbendæ, et ex Clement. *Ne Romani*, de Electione. Nunc autem declaratur exemplis ad rem præsentem pertinentibus, alias etiam possit Episcopus dispensare cum religioso, ut ad vitam clerici secularis transeat, quæ laxior

est, tamen in ea possunt servari tria substantialia vota; quia hoc nullibi invenitur prohibitum, aut Papæ reservatum; consequens est contra communem consuetudinem Ecclesiæ. Imo etiam sequitur posse Episcopum dispensare cum religioso in aliis votis, relicta solum perpetua continentia, quia de solo voto castitatis constat factam esse prohibitionem Episcopo; ergo ex illa negatione prohibitionis seu reservationis, non sumitur regula sufficiens; ergo oportet quærere positivam concessionem; alias non potest cum fundamento attribui potestas Episcopo. Confirmatur, nam hæc dispensatio involvit aliqua contra jus commune: primum, quod religiosus dimittat suum habitum, quod jus simpliciter prohibet. Deinde, si sit monialis, quod exeat extra claustrum in casu a jure non concesso, et similia; sed Episcopus non potest dispensare in jure communi, nisi in rebus ordinariis, et quæ frequenter occurrunt, vel quæ specialiter conceduntur, aut consuetudine constant. Hic autem transitus ad laxiorem non potest dici res ordinaria, aut cujus necessitas frequens sit, imo est res valde gravis cujus necessitas raro occurrit, et de qua merito videatur Sedes Apostolica consulenda.

19. Præterea, licet olim quando immediata jurisdictio in religiosos tota erat in Episcopis, haberent forte ipsi hanc potestatem, nunc, considerato præsentis statu religionis, vix videtur posse fieri hic transitus sine dispensatione Papæ. Primum fit verisimile, quia Episcopi tunc approbantur religiones, quod maximum esse videtur, nam consequenter poterant illas reformare, aut si necesse esset mutare, vel tollere; ergo multo facilius poterant religiosum ad laxiorem mutare. Denique tota gubernatio religionum apud ipsos erat, sub qua multa graviora comprehendebantur; ergo non est cur putemus hac potestate potius quam aliis caruisse. Altera pars declaratur, quia si nunc loquamur de religiosis exemptis, clarum est non posse ordinarios Episcopos cum eis dispensare, quia non sunt ei subditi, unde neque in aliis votis aut præceptis cum eis dispensare possunt. Prælati autem regulares, quamvis habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, non videntur tantam habere jurisdictionem, ut possint, saltem ex parte, in votis substantialibus religionis dispensare, quod fit per licentiam ad hujusmodi transitum. Antecedens patet, quia illa vota sunt quasi fundamentum, quod necessario supponitur ad potestatem talium Prælati-

rum; ergo non extenditur potestas ad immutandum illum. Confirmatur, nam ob hanc causam non potest Prælati religionis irritare votum subditi transeundi ad arctiorem religionem, quia ejus potestas non extenditur extra ea quæ pertinent ad talem statum; ergo eadem ratione non potest concedere transitum ad laxiorem. Denique potestas, quæ olim erat in Episcopis circa religiosos, non est tota translata ad Prælatos exemptos, tum quia ipsi non approbant religionem, vel aliquid simile; tum etiam quia hujusmodi religiones sunt specialiori modo sub protectione et gubernatione Papæ, quam olim essent antiqui religiosi. Unde, etiamsi loquamur de religiosis, qui nunc sunt subjecti Episcopis, non est eadem ratio potestatis Episcoporum in ipsos, quæ antiquitus erat, nam dispositiones juris canonici, quæ nunc sunt, comprehendunt regulares etiam subjectos Episcopis, et ideo, in his, quæ sunt contra canones, non possunt cum illis dispensare, nisi ubi constiterit illis esse concessum; transire autem ad laxiorem religionem, est specialiter per canones prohibitum, c. *Sane*, de Regular., cum similibus.

20. Inter has sententias hæc posterior videtur mihi verior ex vi juris communis, quamvis prior sit practice probabilis propter auctoritatem Innocentii, Hostiensis, Joannis Andree, et Panormitani. Et quia in dicto c. *Significatum* probabiliter fundatur, quia Pontifex indistincte ait: Ad aliam religionem, et ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus; et ibi interveniebat rationabilis causa dispensandi, etiam ad laxiorem, propter religionis ingressum in tenera ætate, unde videtur sumi argumentum ad alios casus similes, quando legitima causa intervenerit. Facile etiam possunt congruentiæ adduci ad hanc partem confirmandam, quia est favorabilis, et juxta hominum fragilitatem, et occasionem, non ita raro necessaria. Maxime autem fiet probabilis si consuetudo illi favet, quia in his rebus plurimum potest; sed de illa mihi non constat, et vereor contrarium potius esse in usu.

21. *Quæ sit causa justa transeundi ad laxiorem, ut dispensatio concedi possit?* — Superest ut breviter explicemus quæ sit causa hujus dispensationis; de qua dicendum est non esse aliquo jure præscriptam, et ideo prudenti arbitrio dispensantis relinqui. Solum ergo adnotare possumus hanc causam posse respirare, vel commodum religiosi tantum, vel re-

ligionis a qua transfertur, vel ejus ad quam transit. Et quidem si omnium utilitas concurrat, erit consummatissima causa, ut si religiosus sit utilis religioni ad quam tendit; et alteri, a qua redit, potius sit onerosus, quia forte non est utilis ad ministeria ejus, et est aptus ad canendum in choro, quod alia religio magis proficitur; et ipsi etiam religioso speratur fore utilius in eo vitæ genere occupari, licet alioqui ex suo genere minus austerum aut perfectum sit.

22. *An sufficiat solius translati utilitas.*—Quando autem hæc omnia simul concurrere non possunt, primum regulariter considerandum est spirituale commodum religiosi; quacumque enim ratione prudenter speretur futurum esse majus, sufficit ad justam causam dispensationis, quia per religiosam vitam est hoc per se primo ac proxime intentum, et ideo D. Thomas, dict. q. 189, a. 8, hanc fere posuit ut unicam causam hujus dispensationis. Significat autem necessarium esse, ut procedat ex infirmitate vel debilitate personæ. Intelligendum autem existimo de infirmitate et debilitate, non tantum corporis, sed etiam animi, quia providentia Prælati utrique debet providere, et ad majus Dei obsequium attendere. Ita etiam interdum expedit, quando experientia docuit non solum ex pura malitia, vel pravo habitu, sed veluti ex innata conditione habere aliquem quamdam ineptitudinem ad talem statum, vel ingentem difficultatem in portandis oneribus ejus, quam ante professionem satis prospectam non habuit. Ad quod etiam juvare potest emisisse professionem in tenera ætate, quia solet multum postea natura mutari, vel certe dignosci. Addi etiam potest, si sufficiat dispensatio Prælati circa onera religionis, non esse facile procedendum ad dispensandum in transitu, nisi vel illemet modus vivendi cum dispensationibus, aliis odiosus sit, vel ipsimet religioso nimis molestus, nam hoc ipsum multum impedire solet spirituales profectum, qui semper præ oculis habendus est. Unde quando intercedit hæc ratio majoris boni spiritualis ipsius religiosi, non obstat etiamsi aliquod onus, vel incommodum monasterii intercedat; nam si loquamur de monasterio ad quod fit transitus, nihil hujusmodi in eo consideratur, quia voluntarie est admissurum talem personam; hanc enim conditionem omnia jura et Indulta imprimis postulant, et ideo ipsa religio debet sibi consulere, et de utilitate, vel onere personæ ju-

dicare; qualiscumque enim illa sit, volenti non fit injuria, et ideo ex hac parte non potest dispensatio esse injusta. Nisi per illam cogeretur alia religio talem personam suscipere, quod solus Pontifex de plenitudine potestatis facere potest; ordinarie autem non facit, neque expedit fieri, sine gravissima causa. Respectu autem religionis a qua receditur, non consideratur incommodum ejus, quia illud ad summum esse potest in re temporali vel externa: tenetur autem ipsa religio magis procurare spirituale bonum religiosi, quam hujusmodi commodum suum. Præterquam quod, simpliciter loquendo, vix potest esse commodum religioni habere intra se religiosum, qui juxta statum et perfectionem ejus non possit perfecte vivere.

23. *Quid quando intervenit solum commodum religionis unde fit transitus.*—Aliquando vero contingit transitum non esse in majorem utilitatem spiritualem religiosi, cedere tamen in utilitatem religionis a qua fit transitus, et tunc vix potest causa esse rationalis; aliquando tamen esse poterit, si multa concurrant. Primum est, ut ipsa persona religiosa saltem non exponatur periculo morali detrimenti spiritualis, quia hoc repugnat professioni et obligationi ejus, et ordini charitatis; oportet ergo ut, licet major profectus non speretur, saltem non timeatur defectus alicujus momenti, quod facile sperari poterit, si persona sit adeo religiosa, ut plus soleat operari, quam ex obligatione regulæ teneatur. Deinde necessarium est, moraliter loquendo, ut religio, a qua recedendum est, cedat juri suo, quod habet maximum, quando transitus non est necessarius propter ipsum religiosum; nam si ipsimet religioni commodum est, talem religiosum dimittere, quia licet sit probus, non tamen est sibi utilis, vel ad suum finem accommodatus, oportet ut ipsamet religio hujusmodi utilitatem cognoscat, et velit, quia non fit beneficium invito, maxime cum diminutione suorum bonorum.

24. *Quid quando est commodum tantum religionis ad quam transitur.*—Si autem utilitas est tantum alterius monasterii ad quem fit transitus, multo magis est necessarius consensus proprii monasterii, quia non potest unus ditari ex bonis alterius illo invito. Atque hoc procedit non solum in transitu ad laxiorem, sed etiam ad æqualem religionem, nam procedit eadem ratio. Imo existimo in hujusmodi casibus, quando causa non ex parte religiosi, sed ex parte alterius religionis con-

sideratur, solum Pontificem posse dare hujusmodi dispensationem, præsertim si transitus sit ad laxiorem, et illa causa est valde extrinseca ad obligationem voti, pertinetque ad Prælatum habentem superiorem providentiam et gubernationem utriusque religionis. Unde tunc etiam magis urgent omnes rationes in superioribus factæ. Præter has causas possunt aliæ excogitari extrinsecæ et accidentariæ, ut sunt necessitas subveniendi parentibus, si possit naturalis illa obligatio impleri in religione minus stricta quam sit propria. Item, si quis patiatur injustissimam persecutionem, et similes, quas omitto, quia generales sunt, et tot modis variari possunt, ut interdum etiam liceat in seculo ob similem causam remanere cum debita facultate.

CAPUT XII.

AN, SPECTATO JURE PARTICULARI SEU INDULTIS RELIGIONUM, LICEAT TRANSITUS AD ALTERAM RELIGIONEM.

1. *Proponuntur Indulta, ac primum vetans recipere alienos religiosos.*—Ultimo pro tertio principali, quod initio cap. 8 proponebatur, dicendum est, in unaquaque religione, præter jus commune, spectanda esse specialia privilegia et Indulta, et illa esse servanda. Declaratur, nam multa emanarunt Apostolica Indulta in favorem religionum, quibus hic transitus prohibitus est, vel simpliciter, vel cum aliqua limitatione; et imprimis Pius V, sua constitutione 91, *Quacumque*, videtur generaliter hunc transitum prohibere sine licentia a Superioribus obtenta; nam prohibet ne volentes transire recipiantur, etiamsi laxiorem professi fuerint. Verumtamen in illa constitutione solum irritantur privilegia concessa religionibus, aut quibuscumque piis locis aut Prælatibus, etc., præter juris communis dispositionem emanata, recipiendi hujusmodi religiosos, et consequenter irritat quidquid virtute talium privilegiorum, facultatum aut dispensationum factum fuerit. Imo etiam, quod mirandum est, etiam præcipit Pontifex ut, qui autea fuerant translati virtute talium facultatum, ad proprias religiones redeant. Quod dico esse mirandum, quia professiones antea factæ erant validæ, quia etiam facultates et privilegia valida fuerant, donec ab ipso Pio irritata fuere; quomodo ergo potuerunt illi religiosi revocari ad suas pristinas religiones? Dicendum vero est, Pontificem

imprimis potuisse id facere, quia, licet professionem semel validam non possit in totum, seu quoad substantiam irritare, tamen prout ad hanc vel illam religionem determinatur, potest eam irritare seu mutare, etiam invito religioso, vel religione, quia hoc totum pendet ex jure humano. In eo ergo casu credendum est interfuisse legitimam causam id faciendi, propter majus commune bonum et quietem, seu pacem religiosorum; nam multi fortasse eo titulo religiosum statum indigne tractabant, ut in principio illius constitutionis significatur. Ex vi ergo illius Indulti, nihil circa jus commune immutatum est, ut benotavit Navarrus, cons. 88, de Regularibus. Quocirca translati alio titulo, vel secundum commune jus, sive ante illam constitutionem, sive post, non prohibentur refineri aut recipi. Ubi etiam considerandum est, aliud esse loqui de privilegiis datis ad recipiendum alienos religiosos, et aliud de privilegiis datis, ne proprii religiosi ab aliis recipi possint, sine sanctorum Superiorum licentia. Priora enim privilegia sunt exorbitantia jure communi, suntque odiosa aliis religionibus; possunt enim inter eas scandala et dissensiones generari, ac denique facile possunt in occasionem relaxationis et inconstantia perverti, et ideo merito revocata fuere. Alia vero privilegia favorabilia sunt, quia directe consulunt immunitati, et quieti ejus religionis cui conceduntur, et aliis non nocent, sed solum vetant ne cum alterius detrimento velint proficere, quod est maxime consentaneum charitati; et ideo talia privilegia revocata non sunt, sed potius in variis religionibus multiplicata, quæ ab aliis observanda sunt, dummodo de illis constet.

2. *Proponuntur Indulta Societatis vetantia transitum ad quamcumque aliam religionem, præter Carthusiam, absque licentia obtenta.*—Exemplum sit de privilegio Societati concessa, ut nullus in ea professus, vel per tria vota substantialia admissus, possit ad aliam religionem (Carthusia excepta) transire, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, tam a transeuntibus, quam a recipientibus ipsos, prætextu cujusvis Indulti concessi aut concedendi, etiam quæsito colore ob frugem melioris vitæ aut strictioris observantiæ, quodque secus facta non teneant. Habetur in litteris Apostolicis ejusdem Societatis, in Bulla ultima Pauli III, *Licet debitum*, § *Ac inhibemus*, etc., et in Bulla prima Pii V, *Æquum reputamus*, in principio, ubi expendit et con-